



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi  
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

**Acquaviva, Claudio**

**Coloniæ Ubiorum, 1616**

126 Tempus faciendi Domine: dissipauerunt legem tuam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](#)

tali exhibetur, quæ tot titulis, tot nominibus fulcitur.

**Semper à  
Deo lux  
postulan-  
da.**

**August.**

Vt autem sine intromissione tibi seruire possim, & ita, vt seruitus mea placeat tibi, da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua. Intellectum dari postulo, & lumen, quo tua testimonia, tuas leges planè cognoscam: vt ad eas dirigere omnia possim obsequia mea. Alioquin offenduntur tenebrae, cœcutit oculus. At lex tua lux est: quam et si me intelligere, in eaque meditari professus sum, semper tamen id mihi petendum intelligo. Nunquam intermitenda est ista petitio. Non enim sufficit accipisse intellectum, & Dei testimonia didicisse, nisi idem semper accipiatur, & quodammodo semper bibat de fonte lucis æternæ. Testimonia quippe tua, quanto fit quisque intelligentior, tanto magis sciuntur.

**126 Tempus faciendi Domine: dissipauerunt legem tuam.**

**Tempus  
faciendi,  
primō-  
bis paren-  
do.  
Secundō,  
Deo dan-  
do gratiā.**

**E**t mihi quidem tempus faciendi esset: primò, legem tuam studiosè seruandi: quia quo magis illam dissipari a prævaricatoribus cerno, eo mihi in illam studiosecundò, sius incumbendum. Sed tempus faciendi non tam mihi, quam tibi Domine. Tēpus tibi faciendi iam, non iubendi. Lex enim quæ carnales inuenit, & venundatos sub

pcc-

peccato iubere potuit, facere non potuit: morbum indicare potuit, sed non expellere; concupiscentiam ostendere, non compescere. Venit iam tempus faciendi, ut ipse perficias in nobis, quod iubes. Da quod iubes, & iube quod vis. Sanet gratia Medicatoris, quos lex premit. Brachia infirma, & quasi lac coagulata ponat, ut arcum æreū: ut audiamus hominem gloriantem. Cum infirmor, tunc fortior sum. Et rursus. Omnia possum in eo, qui me confortat.

Quanquam & alio modo tempus faciēdi tibi est, id est, mundi iam sceleribus contaminati, & exacabilis purgationem faciendi. At qualis purgatio? Non, ut in generali diluvio, impios à terra perdendo, Gen. 7. quando & scelera, & sceleribus abdominali-les è mundo susculisti, sed novo sanctificationis modo: diluvio passionum in carnē Medicatoris fluentibus cataractis emissō, sanctificans, & purgans mundum, de peccatoribus iustos, de incontinentibus castos, de tenacibus liberales, de feris mansuetos, de nigris lucidos, de mortuis viuos faciens. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua? laudent te miserationes tuæ, quæ tibi de medullis meis confitentur. Ecce cum abundaret orbis abominationibus, cum te homines non agnoscerent, cum sacrilegis nidoribus aer inficeretur, tempus tibi faciandi fuit, & faciandi misericordiani.

Psal. 144.  
127 Ideo

*Aug. Cof.  
l 10. c. 2.  
Psal. 17.  
2. Cor. 12.*

*Philip. 4.*

*Tertiō,  
purgandi  
mundi.*